



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

87. Testamentum Machtildis, Comitissae Boloniensis (quae Alfonso Portugalemsem maritum habuit) an. 1241. scriptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

administruit: sed an. 1260. capta à Grecis Constantinopoli (iuxta Panvinij calculum) in Galliam redijt, vbi & circa an. 1279. obiit.

Vxorem habuit Balduinus MARTHAM, Ioannis de Brenna, Regis Hierosolymitani, filiam.

Varijs demum bellis pro Comitatu Namurcensi exortis, idem Balduinus, consentiente Philippo filio suo, & hortante S. Ludouico Galliarum Rege, dictum Comitatum Guidoni Flandriarum Comiti an. 1262. vendidit. Et ad controuersiam omnem sopiendam, Guido Isabellam, Henrici Blondi Comitis Luxeburgensis filiam, Henricus Blondi filius Beatricem, Balduini Auennij, domini Belli-montis filiam, Ioannes Auennius Hannoniarum Comes Philippiani, Blondi eiusdem filiam, sibi matrimonijs iunxerunt.

C A P V T L X X X V I I .

Testamentum Machtildis, Comitissæ Boloniensis (quæ Alfonso Portugalsensem maritum habuit) an. 1241. scriptum.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, amen. Ego MACHTILDIS, Comitissa Bolognarum, volens ordinare de bonis meis testamentum, siue per quamcumque meam vltimam voluntatem disponere, statuo de bonis meis in hunc modum.

In primis do & lego carissimo marito meo ALFONSO, filio illustris Regis Portugaliarum, Comiti scilicet Bolognarum, viginti millia librarum Parisiensium, soluendarum eidem, vel eius mandato, per quinque annos, à die mei obitus computandos, videlicet quolibet anno quattuor millia librarum Parisiensium, per quattuor terminos inferius annotatos, vsque ad præfatam solutionem totius summæ prædictæ.

Dono etiam ei & lego omne ius, & omnem actionem, & totam partem, quæcumque mihi competit aut competere poterit vlllo modo in quattuor millibus librarum Parisiensium, quæ dicto Comiti, & mihi debentur, ratione cuiusdam compositionis factæ inter ipsum & Comitem & Comitissam Flandrensem.

Et promisi, & adhuc promitto Comiti Bologensi, marito meo prædicto, quòd istud donum & legatum in perpetuum obseruabo.

D d d 2

nec

nec illud in aliquo reuocabo in perpetuum vilo modo.

Et quantum ad donum & legatum prædictum, ipsum Comitem, maritum meum, & reuerendum patrem Robertum Episcopum Beluacensem, & carissimum consanguineum meum dominum MATTHÆVM de Tria constituo executores meos.

Volo etiam & statuo, quòd supra dicta omnia & quodlibet de prædictis, ita firma & stabilia perseuerent, quòd per aliquod testamentum meum vel per aliquam voluntatem meam, quæ huc vsque fecerim vel faciam in futurum, in scriptis vel sine scriptis, nullatenus reuocentur

Omnia autem supradicta & singula promisi, & promitto me firmiter seruaturam, & contra in aliquo non venturam in posterum

GVALTERVS de Castellione, & ego IOANNA eius vxor, quorum sigilla inferiùs sunt appensa, approbamus, volumus & concedimus, & promissimus & promittimus Comiti Boloniæ supradicto, quòd contra prædicta vel aliquod prædictorum nullo vmquam tempore veniemus

1241. Actum anno millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense Martio.

NOTATIO.

Vasconcellus in Historia Regum Lusitaniæ, Quercetanus in Historia Castellionæ, & alij rerum Gallicarum scriptores de his rebus fusè tractant. Ceterùm Machtildis fuit filia Eustathij illo nomine quarti Comitis Boloniensis, & obijt sine prole.

CAPVT LXXXVIII.

Hugo Castellanus Gandensis, & vxor eius Maria, ann. 1243. ad usum ecclesie Antuerpiensis, suos seruilis conditionis in VVassia homines manumittunt, sub annuo censu capitali.

EGO HUGO Castellanus Gandensis, & MARIA vxor mea, notum facimus vniuersis litteras has visuris, quòd nos ad ecclesiam S. Mariæ in Antverpia personaliter accedentes, diuinæ pietatis intuitu, ac in remissionem peccatorum nostrorum, per sententiam hominum